PETRVS TYLICKI D.G. EPISCOPVS CRACOVIEN.

Clero Diœcesis nostræ Cracouien. Christi IESV gratiam & pacem.

QVod vnanimibus vestris suffragiis, in Synodo proximè per nos coacta, de propagandis salutis humanæ rebus, muneribusq́; & oneribus Ecclesiasticis supportandis sanciuimus; id prælo mandatum præsentium literarum edicto promulgamus, vobisq́; intimamus. Quod quidem vt ea animorum promptitudine suscipiatis, sicuti ad explendas ordinationes nostras iureiurando adstricti estis, fraternè à vobis requirimus. Adiunximus hisce Constitutionibus Bullam Cœnæ Domini hoc anno editam, vt eam iuxtà Apostolicarum Sanctionum Statutorumq́; Prouincialium præscriptum, in Ecclesiis vestris sæpiùs euulgetis. Apponi quoque fecimus rationem Pubis per Scholas Parochialium Ecclesiarum instituendæ, quam Synodi placito Professores Acade-

mię Cracouien. conſcripſerunt; quę vt in omnibus Scholis obſeruetur, Parochi atque omnes alij, quibus præfectura Scholarum incumbit, proſpiciant. Porrò dum hoſtes animarum noſtrarum ad oppugnationem Eccleſię nouas artes vibrare conſpicimus, illorū ſatellitio lumen inprimis proborum morum & viuas virtutum imagines, Deo duce, opponere ſatagamus; perſuaſum habentes Hierarchiam Eccleſiaſticā tantoperè Canonicis ſanctionibus inſtructam eſſe, nihil vt aliud ſuperſit, quàm vt placitis SS. Patrum, quę pro diuerſis Conciliis, afflatu Spiritus ſancti, rogata ad nos propagarunt, mores noſtros accommodemus. Datum Cracouię die viii Menſis Maij. Anno Domini M. DC. XII.

CONSTITVTIONES SYNODI DIOECESANÆ CRACOVIENSIS.

De disciplina Ecclesiastica retinenda.

VT disciplina Ecclesiastica, quam per Visitationes propagamus retineatur, sancimus vt Conuentus Decanales, bis in anno iuxtâ iura antiqua & consuetudines, agantur. In quibus Conuentibus, inprimis Decani dispicient, an decretis & ordinationibus in Visitatione præscriptis satisfiat: & si quempiam scandalosum notoriisq; excessibus laborantem Decanus compererit, eum in continenti ad Officialem loci Foraneum remittat, cum informatione super eius excessibus facta. Officialis autem absque procrastinatione contrà remissum iudicialiter procedat, processumque iudiciarium quamprimùm per sententiam definitiuam, intrâ sex hebdomadas, teneatur determinare. Sin autem Officialis in processu remissior fuerit, ad nos, aut ad Officialem nostrum Generalem, Decanus id referat: Foraneus verò Officialis pœnas conniuentiæ aut negligentiæ suæ arbitrarias dabit.

De Decimis.

INhærendo Constitutioni Prouinciali in Synodo sub Illustriss. Cardinali Macieiouio Archiepiscopo factæ, per Sedemq; Apostolicam confirmatæ, contrâ eos qui Decimas Ecclesiæ debitas inuadunt, eandem Constitutionem innouamus, decernentes, vt sub pœnis Clementinæ Cupientes. de pœnis. nemo eos qui decimas non pendunt, absoluat. Cuius

quidem Constitutionis & Clementinæ nè quis ignorantiam prætendat,eas proprio suo tenore hîc inserimus. Et inprimis Constitutio Prouincialis sic se habet.

Prohibet sancta Synodus,sub pœna excommunicationis incurrenda, nè quisquam, etiam Regularium cuiuscunque ordinis, subtrahentes quoscunque, vel impedientes Decimas debitas Ecclesiis, absoluere præsumat, nisi plena restitutione illarum secuta: similiter eos,qui in Concionibus aut vbilibet aliâs proferent aliquid, quo audientes à solutione Decimarum auertant, vel conscientiis confitentium sibi, nullum de industria super solutione earundem scrupulum inijcient, declarat pœnas incurrere in Clementina Cupientes. de pœnis. sancitas. Clementinæ autem hæc est series.

Cupientes eos, quos ad obseruantiam iurium, virtutum præmia non inducunt, tam adiectarum exaggeratione pœnarum, quàm adiiciendarum de nouo formidine, à temerariis ausibus refrænare transgressores Constitutionis, quæ Religiosis mendicantibus, domos ad habitandum vel loca quæcunque de nouo recipere, recepta hucusque mutare, vel ea transferre in alios, cuiusuis alienationis titulo, interdicit; Illos etiam Religiosos, qui aliqua, vt audientes à Decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, in sermonibus suis vel alibi proferre præsumunt, excommunicationis subiacere sententiæ decernimus ipso facto. Et quia nisi fiat quod bonum est,à malo abstinere non sufficit; Religiosis omnibus iniungimus sub obtestatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ, vt quotiens populo prædicabunt in prima Dominica, quarta, & vltima Quadragesimæ, & in festis Ascensionis Dominicæ,Pentecostes, Natiuitatis beati Ioannis Baptistæ, Assumptionis,& Natiuitatis Beatissimæ Virginis Mariæ matris Dei, audientes expresse studeant informare, si ab Ecclesiarum Rectoribus vel Vicariis,aut loca tenentibus eorundem requisiti fuerint; necnon

non & his quorum confeſſiones audient,conſcientiam facere,quòd decimas ſoluere non omittant. Quodſi fortè in prædicationibus hoc ipſum ſupradictis diebus ſuadere ſcienter omiſerint,per ſuperiores eorum grauiter arguantur. Quibus etiam ſuperioribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, vt contrâ taliter omittentes,ſtatuta pœnalia faciant; ſecundùm quę ſic acriter puniant tranſgreſſores,quòd pœna eorum ſit cæteris in exemplum; Conſtitutione bonæ memoriæ Gregorij Papæ decimi prædeceſſoris noſtri circà hæc edita,in ſuo nihilominùs robore duratura. Qui verò ſcienter poſtpoſuerint, confitentibus conſcientiam facere, de ſoluendis huiuſmodi decimis, ab officio prædicationis tamdiu maneant ipſo facto ſuſpenſi, donec confitentibus ipſis (ſi hoc ipſum ſibi dicendi commodè facultatē habuérint) conſcientiam fecerint: exinde excommunicationis incurſuri ſententiam ipſo facto, ſi prædicare præſumpſerint,prædicta negligentia (vt præmittitur) non purgata. Ad religioſos tamen Monaſteriorum, vel Rectores Eccleſiarum decimas percipientium, nolumus hoc extendi.

Præterea, inhærentes tam iuri communi, quàm declarationibus Illuſtriſſ.Cardinalium Sacri Concilij Tridentini interpretum,ſuperCaput VII de Caſuum reſeruatione,Seſſionis XIIII eiuſdem Concilij,quibus Regulares quoſcunque,etiam exemptos, non poſſe vigore quorumcunq; Priuilegiorum, etiam illius quod Mare magnum appellant,abſoluere quempiam à Caſibus reſeruatis Epiſcopo, ſæpiùs reſponderunt: Caſum non pendentium, rapientium, occupantium, & impedientium decimas, cenſus, reditus, iura, ſiue alia quæcunque emolumenta & obuentiones Eccleſiæ,nobis reſeruamus; declarantes in facultatibus ſuper abſolutione à Caſibus nobis reſeruatis, per nos hactenus conceſſis, quibuſcunq; ſiue Secularibus, ſiue Regularibus cuiuſcunque inſtituti, Caſum hunc nos non comprehendiſſe, neq; intentionis noſtræ fuiſſe, abſolutionem ab hoc Caſu cuipiam concedere voluiſſe,aut

ſe, aut in poſterum concedere velle. Ipſos verò Sacerdotes ſic abſoluentes, Religioſos præſertim, pœnas in Clementina Religioſi. de Priuilegiis & exceſſibus Priuilegiatorum. comprehenſas, incurrere declaramus. quam Clementinam propria ſua ſerie hìc inſerimus.

Religioſi, qui clericis aut laicis Sacramentum Vnctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, Matrimoniáue ſolemnizare, non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali; aut qui excommunicatos à Canone, præterquã in caſibus à iure expreſſis, vel per Priuilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis iiſdem, vel à ſententiis per Statuta Prouincialia aut Synodalia promulgatis, ſeu (vt verbis eorum vtamur) à pœna & culpa abſoluere quemquam prꝙſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam duntaxat abſoluendi: quos etiam locorum Ordinarij (poſtquam de hoc eis conſtiterit) excommunicatos faciant publicè nunciari, donec de abſolutione ipſorum eis facta fuerit fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis vel alio Priuilegio ſuffragante. Quibus etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternę diſtrictiùs inhibemus, nè in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant: aut etiam retrahant laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia vel acceſſu: ſeu indulgentias pronuntient indiſcretas: néue cùm cõfectionibus teſtamentorum intererunt, à reſtitutionibus debitis, aut legatis matricibus Eccleſiis faciendis, retrahant teſtatores: nec legata vel debita, aut malè ablata incerta, ſibi aut aliis ſingularibus ſui Ordinis fratribus vel Conuentibus, in aliorum præiudicium fieri ſeu erogari procurent: nec etiam in caſibus Sedi Apoſtolicę, aut locorum Ordinariis reſeruatis, quemquam abſoluere: aut perſonas Eccleſiaſticas, præſertim coram Iudicibus delegatis à nobis, ſuam contrà eos iuſtitiam proſequentes, vexare indebitè, aut ad loca plura, & præſertim multùm remota conuenire præſumant. Si qui verò præmiſſa, vel aliquod

aliquod de premissis attentare presumpserint, per duos menses subiaceant poenis illis, quæ secundùm eorum regulam vel statuta, pro grauibus criminibus seu culpis eis consueuerunt imponi: super quibus absque manifesta necessitate cum eis non valeat dispensari. Cæterùm Prælati eorum, nisi de his quæ occasione præmissorum excessuum ad eos quoquo modo peruenerint, Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis damnificatis vel læsis, satisfactionem plenariam exhibuerint intrâ mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, suspensionis sententiam vsque ad satisfactionem debitam eo ipso incurrant, non obstantibus præmissis statutis, aut quibuslibet priuilegiis, cuiuscunque tenoris existant. Sanè Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in Hospitalibus suis degentibus, Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus, quô ad hoc, præiudicium generari.

De institutione Iuuentutis.

VT Studia ministerio Ecclesiæ seruientia neglecta, scilicet Musica, Arithmetica, aliæq; artes liberales postliminio ad Scholas redeant, & Pubes rectè instituatur, Academiæ Cracouien. Professoribus negotium dat Synodus, vt modum docendi in Scholis, per oppida & villas seruandum describant, quem vnà cum hisce Constitutionibus prælo subiici mandabimus. Archidiaconis autem & aliis, quibus visitationis ministerium incumbit, committimus, vt eundem docendi modum obseruari faciant. In quo quidem modo docendi, præcipua ratio habeatur Catechismi in Scholis iuuentuti studiosæ, & in Ecclesiis populo, festis diebus proponendi.

De Clericis, secularia negotia apud Seculares tractantibus.

QVia multi Clericorum Deo militantes, implicant se cu-

ris ſecularibus, negotia laicorum gerendo, ideò authoritate præſentis Synodi monentur, vt huiuſmodi officia deſerant, nec eis ſe poſthac ingerant, ſub pœna Cap. Sacerdotibus. & Cap. Sed nec procurationes. Nè Clerici vel Monachi &c. quæ iura diſponunt, vt huiuſmodi Clerici, Eccleſiæ auxilio & fauore careant, ſintq; à miniſterio Eccleſiaſtico alieni.

De Quæſtore domus Sacerdotum infirmorum.

NE erectæ hactenùs Domui infirmorum Sacerdotum ſubſidia in Synodis decreta negligantur, aut aliis quàm Synodales ſanctiones præſcribunt, vſibus accommodentur; præſens Synodus prouinciam Quæſtoris eiuſdem Domus, Reu. D. Iacobo Ianidlouio I.V. Doctori, Eccleſiæ Collegiatæ Sandecen. Canonico, in Academia Cracouien. Profeſſori, demandat. Habebit is Quæſtor facultatem exigendi inteſtata, & obuentiones Domui prædictæ in anteᵣioribus Synodis addictas.

De vagis Sacerdotibus.

SAncitas contrà vagos Sacerdotes pœnas in Epiſtola Paſtorali, per S. Sedem Apoſtolicam approbata, innouat Synodus; vt nimirùm eos nemo ad miniſterium Eccleſiæ ſuæ admittat, ſine literis commendatitiis, ſub pœna decem marcarum. Scholares quoq; vagi, ſine literis commendatitiis vt ad Scholas non admittantur, Parochi ſub pœna quinque marcarum prouideant. Sacerdotes autem Regulares cuiuſcunq; Ordinis atq; inſtituti, qui in deſolatis vacantibúſue Eccleſiis, temerè, & ſine vlla authoritate, Sacramenta miniſtrare ſeu diſpenſare auſint, pœnam excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ, in Clementina. Religioſi. de Priuilegiis &c. ſuprà inſerta, rogatam, incurrere ipſo facto, declaramus. Commendas quoq; Eccleſiarum Parochialiũ, ad for-

mulam

mulám Cap. Nemo.de Electione. in Sexto. in omnibus eius punctis & clausulis, nominatim verò, vt vltrà semestris temporis spatium non durent, reducimus.

De fictis prouisionibus & literis commendatitiis.

SVnt qui Presbyteris pro Ecclesiarum suarũ ministerio nõ egent, & nihilominùs prouisiones Ordinandis largiuntur, moresque eorum quos non norunt commendant, aut falsè eos prædicant: quod nè in posterum fiat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, Synodus prohibet.

De Iudicibus ad iudicia Tribunalitia deputatis.

QVia lege Regni sancitum est, vt Iudicia Tribunalis, celeriùs quàm hactenus fuit receptum, incipiant; statuit Synodus, vt electio Iudicum Ecclesiasticorum, prima die Mensis Septembris fiat. Cùm autem amplius tempus iisdem Iudiciis sit præscriptum, stipendium quoque Iudicum ita ampliandum, Synodus decreuit.

Inprimis Illustriss. Dominus Episcopus, iisdem Iudicibus, pro sumptu in loco Iudiciorum faciendo, offert centum florenos.

Vltrâ autem vetera stipendia, Abbates & alij, pendent.

Abbas Tinecen. olim pendebat ducentos, nunc pendet ducentos viginti quinque.

Abbas Vachocen. olim ducentos, nunc ducentos viginti quinque.

Abbas Andreiouien. olim centum, nunc centum viginti quinque.

Abbas Sieciechouien. olim centum, nunc centum viginti quinque.

Abbas Coprivnicen. olim centum, nunc centum viginti quinque.

Abbas Claræ Tumbæ, olim centum, nunc centum viginti quinque.
Præpositus Miechouien. olim centum viginti, nunc centum quinquaginta.
Abbas Sanctæ Crucis, olim quinquaginta, nunc sexaginta quinque.
Abbas Chebdouien. olim triginta, nunc quadraginta.
Abbas Sciricen. olim triginta, nunc quadraginta.
Abbas Sandecen. instituto veteri quinque.
Præpositus SS. Coporis Christi Cazimiriæ, olim decem, nunc duodecem.
Prouincialis Czestochouien. olim quindecem nunc decem & octo.
Præpositus Pinczouien. olim decem; nunc duodecem.
Præpositus Bessouien. olim sex; nunc octo.
Præpositus Sancti Spiritus Cracouiæ, olim quinque; nunc octo.
Præpositus in Crasnik, more pristino quatuor.
Præpositus in Trzciana, olim duos, nunc tres.
Præpositus Krzyzanouien. olim duos, nunc tres.
Abbatissa Sandecen. olim sexaginta, nunc octoginta.
Abbatissa Zvierzinecen. olim quadraginta, nunc quinquaginta.
Abbatissa Staniatecen. olim triginta; nunc quadraginta.
Abbatissa Sancti Andreæ, olim triginta, nunc quinquaginta.
Abbatissa Buscen. olim decem, nunc quatuordecem.
Abbatissa Imbramouien. olim decem, nunc duodecem.

Hæc autem auctio stipendii ea conditione decernitur, si Constitutio Comitialis, de Iudiciis diutiùs faciendis, ad effectum deducatur.

De locationibus bonorum Ecclesiæ.

LOcationes bonorum Ecclesiasticorum, vltrà triennium, sine

ſine conſenſu Lociordinarii non fiant : cautiones autem ſuper hiſce locationibus, non faciant Clerici coràm Seculari foro, ſed tantùm coràm Eccleſiaſtico, cùm id vergat in diminutionem libertatis Eccleſiaſticæ.

De Seminarij ſuſtentatione.

PRo ſuſtentatione Seminarij, Religioſi Beneficiarij, & Sanctimoniales, ad decurſum quadriennij, ſimplam Contributionem, pro feſto Sancti Martini pendant, ſub pœna dupli. Venerabile autem Capitulum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Crac. ſuper eadem Contributione ſeſe deliberaturum in Capitulo Generali proximè appetenti, recipit.

De Iudicibus delegandis & Examinatoribus Parochorum.

DE propoſitis à Reuerendiſs. Domino Epiſcopo Iudicibus delegandis, & Examinatoribus Parochorum, Synodus ſententiæ Reuerendiſs. Dominat. Suæ ſubſcribit, annuitque, vt Iudicum delegandorum munus ſuſtineant Reueren. Domini Hieronymus Rçczayski Archidiaconus, Ioannes Krasinski Cantor, Albertus Szydlovvski Cuſtos, Petrus Gorcinius, Ioannes Foxius, Canonici Eccleſiæ Cathedralis Cracouien. I. V. Doctores. Ioannes Vielicki Decanus Sendomirien. Examinatores autem futurorum Parochorum agant, in Curia Epiſcopali, Reueren. Domini Ioannes Pisinski Scholaſticus, Cancellarius Curię Epiſcopalis, Petrus Skidzinski Canonicus Cracouien. Andreas Zagorny I. V. Doctor, Præpoſitus Kielcen. Apud Officium Generale, Sebaſtianus Nucerinus Canonicus Scarbimirien. Adamus Stezicius Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Nicolai, S. Theolog. Iacobus Ianidlouius Canonicus Sandecen. I. V. Doctores.

PROMVLGATIO BVLLÆ COENÆ DOMINI.

PETRVS TYLICKI, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Cracouien.

ROmanus Pontifex, qui ſupremi diſpenſatione conſilij, Eccleſiæ militantis gerit principatum, eos qui poteſtate ſua comprehenſi, in cœlis Deum Patrem, & in terris Eccleſiam matrem non agnoſcunt, die, quo Chriſtus Ieſus ſalutem noſtram conſummaturus, Apoſtolos Sacerdotali charactere inſigniuit, ex Eccleſiæ gremio exterminare cõſueuit; eo inſtituto, vt cum filio prodigo ad cor reuertantur. Quod Apoſtolici culminis decretum, vt eis, qui Diœceſi noſtra continentur, innoteſcat, & ſecundùm Prouincialium Synodorum placita euulgetur, noſtræ huius Diœceſanæ Synodi Conſtitutionibus, iuxtâ ſuum proprium tenorem, apponimus; publicariq́ illud ab iis, ad quos id ſpectat, mandamus.

LITERÆ

LITERÆ PROCESSVS S. D. N. PAVLI PP. V. lectæ die Cœnæ Domini, Anno M. DC. XII.

PAVLVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo, cùm in omni Chriſtianę Reipublicę pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimùm in Catholicę fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conſeruanda, maximè elucet. Nimirùm, vt fideles Chriſti non ſint paruuli fluctuantes, neq; circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris; ſed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, neque ſe in huius vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat; ſed potiùs in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra ſub CHRISTO capite, eiuſque in terris Vicario Rom. Pontifice Beatiſſimi Petri Succeſſore, à quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem, atq; ita diuina gratia adiutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoq; beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Rom. Pontifices prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniuerſaria Dominicę Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſci-

cæ diſci.

cæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma, per ministerium Summi Apostolatus, ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatã integritatem, publicam pacem, & iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum & solemnem hunc morem sequentes.

Excõmunic. & anathematizantur.

1. Hæretici cuiuscunq; sectæ, eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici.

1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus sancti, auctoritate quoq; Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Wichlephistas, Luteranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes & singulos alios Hæreticos, quocunq; nomine censeantur, & cuiuscunq; sectæ existant, ac eis credentes, eorumq; receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra & Sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis, obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

2. Appellantes à Pontif. ad futurum Concilium, eorumq; fautores.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, cuiuscunq; status, gradus, seu conditionis fuerint; Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocunq; nomine nuncupentur, interdicimus; ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, vel fauore, appellatum fuerit.

3. Piratæ, atq; eorum receptatores & fautores.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, præcipuè à Monte Argentario vsq; ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

4. Item

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunq; nauibus, tempeſtate, ſeu in tranſuerſum (vt dici ſolet) iactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta, in mari vel in litore inuenta, cuiuſcunque generis bona, tàm in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiusque maris Regionibus, & litoribus, ſurripuerint; ita vt nec ob quodcunque priuilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, etiam immemorabilis, temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunq; prætextum, excuſari poſſint.

4. Naufragorum Chriſtianorum cuiuſcunque generis bona, etiam in litoribus inuenta, ſurripientes.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris ſuis, noua Pedagia ſeu Gabellas, præterquàm in caſibus ſibi à iure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, permiſſis, imponunt vel augent, ſeu imponi vel augeri prohibita, exigunt.

5. Imponentes noua pedagia & gabellas, vel eas augentes.

6. Item excommunicamus & anathematizamus omnes falſarios literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationum, gratiam vel iuſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato eiuſdem Rom. Pontificis ſignatarum, necnon falsò fabricantes literas Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò ſignantes Supplicationes huiuſmodi, ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

6. Falſific. lit. Ap. aut ſuppl. à quocunq; auct. hēnte ſignatas, falsò fabric. Literas Ap.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel Hæreticos, per noſtras, ſiue huius ſanctæ Sedis ſententias, expreſsè vel nominatim declaratos, deferunt ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniáq; alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipſa canabe, quàm alia quacunq; materia, & ipſam materiam, aliaq; huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant,

7. Deferentes arma & alia vſui bellico idonea ad Turcas vel alios Chriſtiani nominis inimicos, & ad Reip. Chriſtianæ ſtatum pertinentia iiſdem in damnum Chriſtianorum nuntian.

pugnant, necnon illos, qui per ſe vel alios, de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipub. concernentibus, in Chriſtianorum perniciem & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisq́; ad id auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcunq; priuilegijs, quibuſuis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos & Sedē prædictā hactenus conceſſis, de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

8. Impedien. eos qui victualia, & alia neceſſaria Romam conuehunt.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu inuadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui nè ad Rom. Curiam adducantur vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe vel alios, cuiuſcunq; fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis & ſtatus, etiam ſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quauis, Eccleſiaſtica vel mundana, præfulgeant dignitate.

9. Ad Sedem Ap. venien. vel ab ea receden. ſua, aut aliorum opera lædentes, & ſine iuriſdictione vexan. in Curia commoran.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis vel Noſtris Iudicibus, non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

10. Romipetas, ac peregr. etiam in Vrbe morantes, vel abeuntes lædentes.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas ſeu Peregrinos, ad Vrbem cauſa deuotionis ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel fauorem.

11. Offendentes S.R.E. Card. & alios Prælatos.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. Cardina-

Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſq; Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis eiicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel fauorem.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcunque vel ſeculares, ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis & negotijs recurrentes, ac illa in eâdem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumq; geſtores, aduocatos, procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Iudices ſuper dictis cauſis vel negotijs deputatos, occaſione cauſarum vel negotiorum huiuſmodi, occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe vel per alios, directè vel indirectè, delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunq; præeminentiæ & dignitatis fuerint. *12 AdRom. Cur. pro negotiis ſuis recurrentes. per ſe vel per alios læden.*

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares cuiuſcunq; dignitatis, qui prætexentes friuolam quandã appellationem à grauamine, vel futura executione literarũ Apoſtolicarũ, etiam in forma Breuis, tam gratiã quàm iuſtitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorũ, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nuntijs, Præſidentibus Palatij noſtri, & Cameræ Apoſtol. Auditoribus, Commiſſarijs, alijſq; Iudicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tẽpore emanauerint, aut aliâs, ad Curias ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quiúe illa ſimpliciter, vel *13. Appellantes à grauamine, vel futura executione literarum Apoſtolicarum, ad laicam poteſtatem.*

 ſine

ſine eorum beneplacito & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut nè Tabelliones, & Notarij, ſuper huiuſmodi literarum & proceſſuum executione, inſtrumenta vel acta conficere, aut confecta, parti cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu earum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & ſubexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis eijciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe vel alium ſeu alios, publicè, vel occultè, quiúe aliâs quibuſcunq; perſonis, in genere vel in ſpecie, nè pro quibuſuis eorum negotijs proſequendis, ſeu gratijs vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directè vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios ſeu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere, præſumunt.

. Executionẽ literarũ Apoſt. ut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetran. acceden.

14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & ſingulos, qui per ſe vel alios, auctoritate propria ac de facto, quarumcunq; exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſarijs noſtris, alijsq́; Iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illarumúe curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conuentus, Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt: quiúe partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui, per ſtatutum, vel aliâs, compellunt, vel exe-

vel executionem literarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi, ad Nos informandos vt dicunt, ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi, corâm Nobis & Sede Apoſtolica, legitimè proſequantur, etiam ſi talia committentes, fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Conſiliarij ordinarij vel extraordinarij, quorumcunq; Principum ſecularium, etiam ſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunq; præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarij, ſeu Vicarij fuerint.

15. Quiúe ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunq;, perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus, Collegia Eccleſiarum quarumcunq;, corâm ſe ad ſuum tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quouis quæſito colore: nec non qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta, in genere vel in ſpecie, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo reſtringitur, ſeu Noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcunq; Eccleſiarum iuribus, quomodolibet, directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè, præiudicatur.

15. Iudices ſecu- lares, qui eccl- ſiaſti. perſona[s] trahunt ad ſ[ua] Tribunalia, qu[i] Eccleſiaſt. libe[r]tatem tollunt aut in aliquo perturbant.

16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſq; ſuperiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunq; Iudices Eccleſiaſticos ordinarios, quomodolibet hac de cauſa,

[1]6. Imped. Præ[lati] nè ſua iuriſd. v[] tantur, quiq[] illorum, & de[]

 directè

iudicia eludentes, ad cur. secul. recur. aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.

directè vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quò minùs sua iurisdictione Ecclesiastica, contra quoscunque vtantur, secundùm quod Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt: ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunq; sententias & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata, etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant; eos quoq; qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Vsurpantes iurisdictiones Apost. & quorũcunq; Eccles. iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

17. Quiue iurisdictiones, seu fructus, reditus, & prouentus, ad Nos & Sedem Apostolicam, & quascunq; Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia, sequestrant.

Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiast. Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

18. Quiue collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis, Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorũ, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & prouentibus huiusmodi, absq; simili Rom. Pont. speciali & expressa licentia, imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à spontè dantibus & concedentibus, recipiunt, necnon qui per se vel alios, directè vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præful-

geant

geant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus quicunq;, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo Pręsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his, per sacros Canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscunq; Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quiq; eiusmodi licentiam, ad personas & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

19. Iudices seculares, qui se interponũt in causis capitalibus seu criminalibus contra Ecclesiast. personas.

20 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se seu alios, directè vel indirectè, sub quocunq; titulo vel colore inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ & Corsicæ, Terras citrâ Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletañ, Comitatum Venaysinum, Sabineñ, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumq; Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesq; nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanã Ecclesiam pertinentia, dictæq; Rom. Ecclesiæ, mediatè vel

20. Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes.

tè vel immediatè ſubiecta, necnon ſupremam iuriſdictionem in illis, Nobis & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem, de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia & quæcunq; his literis contenta, quouſq; alij huiuſmodi proceſſus, à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſq; effectus omninò ſortiri.

Abſolutio ſoli Pontifici reſeruatur.

Abſoluere præſumentes excõmunicantur.

Cæterùm à prædictis ſententijs, nullus per aliũ quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi, de ſtando Eccleſiæ mandatis & ſatisfaciendo, cautione præſtita, abſolui poſſit, etiam prętextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipſiſq; Ordinibus, & eorum Monaſterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacunq; ſcriptura, in genere & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Quòd ſi fortè aliqui contrà tenorem præſentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, abſolutionis beneficium impendere de facto, præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauiùs contra eos, ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus, proceſſuri.

Papæ abſolutio non comprehen-

Declarantes, ac proteſtantes, quamcunq; abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos

municatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis, cum vero proposito vlteriùs similia non committendi, destiterint, ac quò ad eos, qui contrà Ecclesiasticã libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi, publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores, fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari: quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunq; alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantocunq; tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunq; iuribus Sedis Apostolicæ, ac S.R.E. vndecunq; & quandocunq; quæsitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari posse, aut debere. *dit eos, qui præmissis non destiterint.*

Non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, indultis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis vel eorum alicui, seu aliquibus alijs cuiuscunq; ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, concessis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de priuilegijs, indulgentijs, & indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunq; longissimis,

gissimis, & alijs quibuslibet obseruantijs, scriptis, vel non scriptis, per quæ contrà hos nostros processus, ac sententias, quominùs includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri. (quæ omnia, quò ad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur præsentibus, pro expressis habentes, penitùs tollimus, & omninò reuocamus) cæterisq; contrarijs quibuscunque.

Vt verò præsentes nostri processus, ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas seu membranas processus ipsos continentes, valuis Ecclesiæ S. Ioannis Laterañ. & Basilicæ Principis Apostol. de Vrbe, appendi faciemus, vt ij, quos processus huiusmodi concernunt, quòd ad ipsos non peruenerint, aut quòd ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tàm patenter omnibus publicatur. Insuper, vt processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta, eò fiant notiora, quò in plerisq; Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, districtè præcipiendo mandamus, vt per se vel alium seu alios, præsentes literas, postquàm eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

[Q]uicunq; audi[re]nt cõfessiones, [ap]ud se has lite[ra]s habeant.

Cæterùm Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alijq; locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæteriq; curam animarum exercentes, ac presbyte[r]i seculares, & quorumuis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones, quauis auctoritate deputati, transumptum

ptum præſentium Literarum penes ſe habeant, easque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem, in iudicio & extrà illud, vbiq; locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum, liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, reuocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo duodecimo, tertiodecimo Calendas Maij. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

Scipio Cobellutius.

M. Datarius.

Regiſtrata apud Scipionē Secretariū. *S. de Vrſinis*

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1612. Indictione 10. die verò 19. menſis Aprilis, Pontif. Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ V. anno ſeptimo, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranē, & Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, per nos Paulum Bartoccium, & Io. Dominicum de Pace Curſores.

Chriſtophorus Fund. Mag. Curſ.

 loco † plumbi.

MODVS INSTITVENDÆ IVVENTVTIS ex decreto Synodi ab Academia Cracouien. præſcriptus.

CVM animaduerteret Synodus nuper Cracouiæ habita, veterem illam & rectam rationem docendi in Scholis collabi, & quaſdam artes, non ſine incommodo Eccleſię Dei, conticeſcere: voluit, vt certa aliqua formula inſtituendæ Iuuentutis, obſeruanda ab omnibus Præfectis Scholarum Parochialium in hac Diœceſi, authoritate ſua ederetur. Quò itaq; ſtudio & intentioni Synodi plenè ſatisfiat, tria hæc, perpetuo vinculo inter ſe ſociata eſſe oportet, nempe Pietatem, Gubernationem, & Modum docendi.

Ac pietas quidem primùm, ex qua propriè cultus Dei, & aliæ virtutes prodeunt, inſtillanda eſt teneris animis, partim informando eos doctrina Chriſtiana, partim excitando ad virtutem frequentibus monitis, quorum anſa ex curſu lectionum ſumatur.

Vt verò hæc ipſa aſſiduæ exhortationis ſeges, creſcat cum ætate in adoleſcentulis fœliciùs, radiceſq; in eis agat firmiores; omne principium ſtudiorum ab inuocatione diuini numinis auſpicari: Sacrum Miſſæ officium audire frequenter, feſtis autem diebus, etiam cantare, vnà cum Veſperis: Concionibus Eccleſiaſticis intereſſe, & audita in illis referre: Pœnitentiæ & Euchariſtię Sacramenta vſurpare ſæpiùs: ſurgentes à ſomno, & euntes cubitum orare: facereque conſcientiæ examen quotidiè, conſuefiant.

Fide autem

Fide autem inprimis & religione Catholica, imbuantur ſedulò. cuius rei fructus, vt & ad alios rudiores ex plebe redundet, ediſcāt memoriter Catechiſmum Polonicum Cardinalis Bellarmini, vel Ledeſmæ, eundemq; diebus Dominicis & feſtis, pomeridiano tempore, in Eccleſia & frequentia populi, clara voce, alternis interrogationibus, recitent.

Et quoniam patent magis, ac incitant fortiùs ea, quæ oculis, quàm quæ auribus in animos influunt, Iuuentuſq́; in vitam & mores Magiſtri, tanquam in ſpeculum, inſpiciens, ex eo plerumq; normam & exempla viuendi deſumit; prouidendum eſt ſummoperè, vt is non modò doctus, ſed etiam fide Catholicus, moribuſq́; integerrimus deligatur. Vnde & priuſquàm munus ſuum Scholaſticum, Magiſter, Baccalaureus, vel alius quiuis Rector Scholæ ineat, profeſſionem fidei ſolemnem, à Bulla Pij IV. Pontificis Maximi præſcriptam, coràm Prælato Eccleſiæ, vel eius Vicario, iuxtâ decreta Concilii Tridentini, faciet, bibliothecaq́; eius excutietur diligenter, nè aliqua venena Hæreſeos, aut cuiuſpiam prauitatis, clanculùm lateant.

Gubernatio porrò ſiue regimen Scholaſticū, ſic inſtituatur.

Inprimis Iuuentus, veteri & vſitato Scholarum more, in certos ordines diſtinguatur, per quos ingenio, diligentiæ, doctrinæ, aſcenſus ſenſim pateat.

Singulis deinde ordinibus, lectiones accommodatæ illorum ingeniis & captui, prælegantur: nec in legendo ſit affectata difficultas, & oſtentatio ingenii; ſed diſcentium profectui conſulatur.

In explicandis Authoribus, Accentus pronuntiationis, diligens habeatur ratio, eademq́ue à diſcipulis ſeuerè exigatur. cui vt faciliùs aſſueſcant, dictionum ſyllabæ, quæ in dicendo eleuantur, virgula præfixa notabuntur.

Linguæ Latinæ exercitium, ſermone & ſtylo quotidiano excolatur. Styli ſoluti materia ſit, elegans narratiuncula, aut ſimilitudo, aut apophtegma, aut fabula Æſopi, aut dictum vel factum memorabile, ex hiſtoria deſumptum. Ligati verò, carmen ſuis numeris ſolutum, aut thema propoſitum.

Circà emendationem ſtyli, priùs proprietati in dicendo, quàm ornamẽtis ſtudeatur, vt quoduis proprio nomine enunciare diſcant: deinde vitia Orthographiæ corrigantur.

Auſcultata, & memoriæ mandata per totam ſeptimanam, diebus Sabbathi referent, & ex his diſputationem ingredientur.

Scholæ diſciplina erit non fuſtuaria, nec immanibus virgis vtens, ſed moderata, & delictis accommodata. Plurimis enim hæc aſperitas cauſa fuit, vt odium in literas, à prima ætate conceptum, ſemper retinuerint.

Modus denique & ratio docendi, ex probatiſſimis Authoribus & Interpretibus deſumatur; nec quiſquam, contrà decreta Concilii Tridentini, audeat eos attingere, qui aliquam Hæreſeos vel impuritatis labem aſperſam habent, vnde ſibi & aliis perniciem accerſere poſſint. Vtantur verò omnes, infraſcriptis.

Grammatica Latina Cornelii Vltraiectini, quæ miram breuitatem cum pari facilitate coniunctam habet. Eius Rudimenta rudes, maior verò Etymologia & Syntaxis prouectiores, inſtitutionibus Gtammaticis erudient. Proſodiæ incrementa, in Declinationibus maioris Etymologiæ reperies. Inter interpretandum, ſuffecerit ſenſum Regulæ indicare, & exemplis illuſtrare, nec illius facilitas, aliunde petitis præceptis obruenda, cùm hæc vſu & ſcriptione, faciliùs & fœliciùs cognoſcantur.

Græcæ quoque Grammaticæ Clenardi, ſit ſtudium diligens, cùm

gens, cùm in libris Græcorum omnis elegans doctrina contineatur, & Iuuentus sit Seminarium diuersorum Ordinum. Huic diebus Dominicis, Euangelia Græca, festis, Gregorii Nazianzeni Epistolæ, profestis, Fabulæ Æsopi, Apophtegmata Plutarchi, Sententiæ & Adagia Græca adiungantur.

Ex Oratoribus M. Cicero assumendus, in cuius Epistolis ad Familiares, tenuius dicendi genus, in libris de Officiis, Amicitia, Senectute, æquabile & temperatum, in Orationibus grauius ac sublimius, continetur. Ab Epistolis exordium fiet, præsertim à libris ij. iij. jv. Primus enim negotia Senatus describit. Interpretatio artificium, modos dicendi, sententias, indicabit.

Oratoribus cùm sint affines Poëtæ, ex his primò legantur libri Ouidij Tristium, & de Ponto, in quibus natiua dicendi puritas relucet: demùm ad opera Virgilij procedatur, qui in Bucolicis infimum dicendi genus Poëticum, in Georgicis mediocre, in Æneide supremum expressit. Sanazarius quoque de Partu Virginis prælegendus, eo tempore, quo hoc mysterium ab Ecclesia recolitur. In quorum explicatione, obscœna, lasciua, reijciantur, & Poëtici lepôres ac variæ descriptiones, etiam ex aliis collectæ, proponantur.

Historia, quę vitam humanam format, ex Iustino primùm cognoscatur, qui origines Rerumpublicarũ ab initio mundi exorditur. Huic Florus, qui Romanam Liuij in compendium redegit, succedat. Nec Curtius, propter miram in sermone facilitatem & copiam, & in narrationibus lepôrem, negligendus est. Prouectioribus Salustii historia adiici poterit. Et nè domestica neglecta iaceant, Ianicius qui Polonorum res gestas canit, & Herburti historia, alicui ex superioribus adiungantur. Ex qua lectione, exempla, dicta sapienter, facta memorabilia, referantur in libros custodes memoriæ.

Catechi-

Catechiſmus Græcolatinus Caniſii, ex quo ſugant paruuli rationabile lac Apoſtolicæ doctrinæ, proponatur nauiter. Similiter & Computi Eccleſiaſtici recogniti tractatio, cùm feſtorum & aliorum temporum viciſſitudinem, Eccleſiæ inprimis neceſſariam, noſſe doceat. Muſices quoque ſtudium hactenùs neglectum, & ab Eccleſia ſemper deſideratum, ſit in poſterùm & diligens & feruens. Demùm Arithmetica, cùm ſit Mathematicis ſtudiis & vitæ rationibus accommodata, doceatur.

Prædictarum lectionum hic erit ordo.

Matutino tempore.

Hora
- I. Examen memoriæ ex Grammatica, Cicerone, Computo, vel Muſica.
- II. Grammaticæ interpretatio.
- III. Ciceronis.
- IV. Computi & Muſicæ, alternis diebus.

Poſt meridiem.

Hora
- I. Examen memoriæ ex Græcis, & Poëtis.
- II. Græca præcepta, cum Fabula, aut Apophtegmatibus Plutarchi.
- III. Poëta.
- IV. Hiſtoricus explicabitur.

Poſt cuiuſlibet autem lectionis interpretationem, ſit examen aut diſputatio. Sabbatho, poſt examen generale lectionum, ſit exercitium Accentus, in pronuntiandis lectionibus, ex Cicerone & Poëtis recitatis. Poſteà Catechiſmus & Arithmetica tradantur. Diebus Dominicis & feſtis, Euangelia Græ-

gelia Græca, aut Gregorii Nazianzeni Epiſtolæ. Catechiſmus quoq; Polonicus in Eccleſia recitetur.

Cùm verò, vt teſtis eſt D. Hieronymus, lectio ſine ſtylo vel calamo, ſomnus ſit, habeantur à Pube libri chartacei, in quorum vnum argumenta, artificia: in alterum ſententias, dicta acutè, exempla: in tertium copiam dicendi: in quartum elegantias Poëticas, deſcriptiones Locorum, vt Montium, Vrbium, Portuum &c. Temporum, vt auroræ, crepuſculi, noctis, diei; Perſonarum, vt militis, agricolæ; Animalium, vt equi, leonis &c. referant. diſponantq; hæc Collectanea, per diuerſos titulos, & ſuo ordine ſingula notent; vt poſteà inde, tanquam ex penu, depromant, quibus dictionem, tàm ſolutam quàm ligatam, locupletare poſſint.

Tyrunculi ſic inſtituentur.

Matutino tempore.

Hora
- I. Figuras literarum noſſe, coniungere, apto ſono & accentu debito pronuntiare, diſcent.
- II. Doctrinam Chriſtianam.

Poſt Meridiem.

Hora
- I. Breues erunt & ſelectiores ſententiæ, quæ ſint pietatis & honeſtatis ſymbola.
- II. Miniſterium Miſſæ.

In his ſi fuerint exercitati.

Manè.

Hora
- I. Inflexiones tàm Nominum quàm Verborum diſcent.
- II. Diſticha Catonis, aut Michaëlis Verini, aut Sententias P. Syri Mimi.

Pomeridiano tempore.

Hora { I. Dictionarium Latinopolonicum.
II. Epistolarum Ciceronis librum xv. ad Familiares.

Diebus verò singulis, hora matutina, exercitium in literis Latinis eleganter & orthographicè pingendis, exhibebunt, disputationemque ex verborum copia & inflexionibus facient. Sabbatho numerum Arithmeticum, & Cisioianus discent.